Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 613
Quelle:
Copyright:

fateor me esse superatum &c. Abest igitur a Codice *Praefatio Rufini*, quae habetur in editione Versionis nostrae, *Argentinae* 1508. 4. quacum Codicem contendimus.

Fol. 31. Sermo de Natali Domini absque inscriptione. In edit. inscribitur: *De Theophaniis sive de Natali Domini.* In edit. graecolat. *Jac. Billii Paris.* 1630. f. est *Oratio* XXXVIII. Incipit: *Christus nascitur. gloriamini. Christus e cęlo. occurrite* &c. Ad calcem: *Explicit Secundus Liber.*

Fol. 40. p. 2. *Incipit Eiusdem Tertius De Luminibus. Quod est Secundis Epiphaniis.* In edit. *Theophaniis* pro *Epiphaniis*, sed *Billius*, cui est *Oratio* XXXIX. *των Επιφανιων.* Initium: *Iterum ihesus meus. et iterum misterium* &c. Ad calcem: *Explicit Liber Tercius. De Secundis Epiphaniis.* Secundae dicuntur propter Natalem Domini, qui primis Ecclesiae seculis etiam *Epiphania* audiit.

Fol. 51. p. 2. *Incipit Eiusdem Liber Quartus De Pentecosten Et De Spiritu Sancto.* Inter hanc, quae est *Billio Oratio* XLIV. et praecedentem interjacet in edit. *Fides Gregorii et Nicena.* Incipit: *De sollempnitatibus huius diei pauca dicenda sunt* &c. Ad calcem: *Explicit Liber Quartus.* Edita addunt Orationem habitam in *Ecclesia CPolitana.*

Fol. 60. p. 2. *Incipit Eiusdem Quintus Cum De Agro Venisset.* Initium: *Desiderabam o filii. quia et pari mensura desiderabar a uobis* &c. Addit titulo *Billius*, cui est *Oratio* XXVIII. *μετα τα κατα Μαξιμον.* Quae vero *Maximus* hic perpetraverit, habes in *Vita Gregorii* edit. *Bill.* praefixa. Ad calcem: *Explicit Liber Quintus.*

Fol. 70. *Incipit Eiusdem Liber VI. De Jeremię Dictis Presente Imperatore Apud Quem Intercedit Pro Quodam Periclitante.* Ita et in *edit.* sed pro *Imperatore* legendum esse *Praefectum Nazianzi* et ipse Contextus suadet, et Titulus apud *Billium*, cui haec est *Oratio XVII.* Initium: *Ventrem meum uentrem meum doleo, et sensus mei turbati sunt* &c. Ad calcem: *Explicit Liber VI.*

Fol. 76. *Incipit Eiusdem Liber. VII. De Reconciliatione. Et Vnitate Monachorum.* Initium: *Linguam nostram soluit alacritas* &c. *Billio* est *Oratio* XII. quam *Gregorius* praesente Patre suo habuit. Ad calcem: *Explicit Liber VII.*

Fol. 85. *Incipit Eiusdem Liber. VIII. De Grandinis Vastatione. Cum Pater Episcopus Reticeret.* Ita et edit. et *Billius: εις τον Πατερα σιωποντα.* Initium: *Quid laudabilem soluitis ordinem.* &c. *Oratio* XV. Ad calcem: *Explicit Liber VIII.*

Fol. 93. *Incipit Eiusdem Liber. VIIII. De Arrianis. Vel de His Qui indecenter de Lege Contendunt.* Edit. *Quod non liceat semper et publice de deo contendere.* Rectius *Billius Orat.* XXXIII. *κατα Ευνομιανων. Argentinensis*